

## Vbi extat institutio coena domini?

Historia institutionis recitatur Matt. 26, Marc. 14, Lucae 22 et 1. Corinth. 11.<sup>241</sup>

## Recita verba seu historiam institutionis.

Dominus noster Iesus Christus in ea nocte, qua traditus est, accepit panem et 5  
cum gratias egisset fregit ac dedit discipulis suis dicens: „Accipite et comedite. Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Hoc facite ad mei commemorationem.“ [128:<sup>f</sup>] Similiter et calicem accepit, postquam coenauit, et cum gratias egisset dedit illis dicens: „Bibite ex hoc omnes. Hic calix nouum 10  
testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc facite, quotiescunque biberitis, in mei commemorationem.“

## Qui sunt fines, ad quos referendus est vsus coenae domini?

Primus et principalis finis est confirmatio fidei. Nam haec sumptio est pignus, quo Filius Dei testatur se nobis credentibus applicare beneficia, quae morte sua meruit, vt hoc pignore confirmati credamus vere nos esse et fieri membra Filij Dei et ablutos esse sanguine 15  
Filij et ipsum velle in nobis efficacem esse et nostram miseram massam insertam sibi velle seruare et viuificare. Ad hunc finem accedunt alij fines huius actionis. Est igitur secundus finis gratiarum actio, quae beneficij recordatio simul accendere gratitudinem debet. Fiat igitur in vsu coenae gratiarum actio pro Filij missione, pro assumptione humanae naturae, pro ipsius passione, [129:] pro redemptione, pro donatione euangelij, pro viuificatione, 20  
quae fit per ipsum et Spiritum sanctum, pro restitutione vitae aeternae, pro collectione ecclesiae, denique pro omnibus beneficij. Tertius finis est, vt sit neruus publicae congregationis, in qua vult Deus sonare et conseruari vocem ministerij euangelici et ideo Paulus inquit: „Quotiescunque hoc feceritis, mortem domini annunciabitis donec veniet.“<sup>242</sup>  
Quartus finis est, vt in publico congressu sit testimonium confessionis, sicut 25  
Paulus inquit: „Non potestis simul calicem domini bibere et calicem daemoniorum.“<sup>243</sup>  
Quintus finis, vt sit symbolum mutuae dilectionis iuxta dictum: „vnus panis, vnum corpus multi sumus.“<sup>244</sup>

<sup>f</sup> Fehler in der Seitenzählung.

<sup>241</sup> Vgl. Mt 26,26–29; Mk 14,22–25; Lk 22,14–20; I Kor 11,23–26.

<sup>242</sup> I Kor 11,26.

<sup>243</sup> I Kor 10,21.

<sup>244</sup> I Kor 10,17.